



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XV. Orat, ut quidquid utile puer didicit, Deo serviat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

xienda concepta sua: quæ non possem, nisi aliqua verba didicissem, non à docentibus, sed à loquentibus: in quorum, & ego auribus parturiebam, quicquid sentiebam. Hinc satis elucet, majorem habere vim ad discenda ista liberam curiositatem, quam meticulosam necessitatem. Sed illius fluxum hac restringit legibus tuis Deus; legibus tuis à magistrorum ferulis usque ad tentationes martyrum; valentibus legibus tuis miscere salubres amaritudines, revocantes nos ad te à jocunditate pestifera, qua recessimus à te.

## V S V S.

Necessitatem legum pulchre colligit, ex fluxu humanæ instabilitatis, quæ nec constanter, nec fortiter fertur in honestum & utile. Ideo divina providentia leges instituit, quibus non solum pueri metu ferulæ, sed adulti quoque aliarum pœnarum timore, omnes autem terrore gehennæ in officio contineamus.

## C A P. XV.

*Orat, ut quidquid utile puer didicit,  
Deo serviat.*

1. **E**xaudi Domine deprecationem meam, ne deficiat anima mea sub disciplina tua; neq; deficiam in confitendo tibi miserationes tuas, quibus eruisti me ab omnibus viis meis pessimis: ut dulcescas mihi super omnes seductiones, quas sequebar, & amem te validissime, & amplexer manum tuam totis præcordiis meis, ut eruas me ab omni tentatione usque in finem.

2. Ecce enim tu domine rex meus, tibi serviat, quicquid utile puer didici, tibi serviat,

Viat, quod loquor, & scribo, & lego, & numero. Quoniam, cum vana discerem, tu disciplinam dabas mihi: & in eis vanis, peccata delectationum mearum dimisisti mihi. Didici enim in eis multa verba utilia, sed & quæ in rebus non vanis, disci possunt, & ea via tuta est, in qua pueri ambularent.

## V S V S.

Vtilis precatio ad postulandam perseverantiam, & divinæ gloriæ offerendum profectum in studiis, quem pueri fecimus.

## C A P. XVI.

*Detectandam esse consuetudinem descendit Latinitatem ex lascivis Poetis, ad libidinem incitantibus Deorum magisterio.*

i. **S**ed vñ tibi flumē moris humani. Quis resistet tibi? Quamdiu non siccaberis? Quousque volves Evæ filios in mare magnum & formidolosum, quod vix transeunt, a qui lignum conscenderint? Nonne ego in te legi, & tonantem Iovem, & adulterantem? & utiq; non posset hæc duo, sed actum est, ut haberet auctoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falso tonitruo. Quis autem b penitularum magistrorum audit aure sobria, c ex eodem pulvere hominem clamantem & dicentem: *fingebat* hæc Homerus: & humana ad deos transferebat, d *Cicero L.* vina mallem ad nos. Sed verius dicitur, quod *Tuscul.* <sup>1.</sup> qq. *fingebat* hæc quidem ille, sed hominibus flagitious divina tribuendo, ne flagitia putarentur: & ut quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cælestes deos videretur imitatus.

B 5

2. Et